



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Lvdovicvs Episcop. 19. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Quanto gaudio afficientur veri Christiani cum supremo iudici die videbunt signum crucis. At quanto dolore cruciabuntur improbi, cum idem signum, quod tanto odio habuerunt, contemplantur! lamentabuntur illi quod levem & momentaneam crucem deposuerint, ut gravissimâ & æternâ cruce sine spe, sine consolatione opprimantur.

## S. LUDOVICVS Episcopus

19. Augusti.

*Modestia vestra nota sit omnibus  
hominibus Paul. ad Philip. 4.*

**L**UDOVICUM Caroli Regis Siciliae primo post S. Francisci filium tenes. Puerulus somnum stans humi precationibus interpellavit. Caponem quo pauperum præda esset, pio furto è mensa ablatum, cum parens id subodoraretur, in rosas vertit. Arma ludicra tractantem cum equus abjecisset, vicissim mundum ludibrio habiturus arma ipse & equos abjecit. Quare quo die Soror in manum hominis convenit, ipse sacris initiatur Virginitatem Deo despondit, dæmonemque sub se insidiantem signo Crucis elusit. Aeger voto ad D. Virginem factò è morbo surrexit, & in D. Francisci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolosanum evectus est. Virginem  
uti

uti in omni vita, ita in morte frequentissime salutavit. Causam rogatus id solum respondit. *Morientem illa juvabit me.* Neque falsus est visus inter Angelorum manus in caelos evolare, auditaque ejusmodi voces: *Sic fit servienti Deo in munditie & puritate.* A morte multi propitium mortales habuere. Inter hos Dionysium Lusitanorum regem numerant, quem ursus ex equo in ultimum periculum dejecerat. Sed in tempore Ludovicus è caelo adfuit, monstravitque Dionysio, qui pugione mortem à se in ursum averteret: hoc Beneficium Ludovici gratumque Dionysij animum, *Aedes sacra extructa & in Aede Epigraphae hæc (LUDOVICO SERVATORI) loquitur. Ex Lipeloo.*

MEDITATIO.

*De Modestia.*

1. **H**Æc Virtus, quæ moderatrix est exterioris hominis, maxime decet Christianum, qui, cum sit imago & exemplar Jesu Christi, & modeste agere, & modeste loqui debet. Ubique Deus, ubique Angelus tuus te videt, homines porrò plerumque te observant. Nunquid hæc sufficiunt, ut sedulo amplectaris egregiam hanc virtutem, quæ Deum honorat, & homines allicit ad sanctitatem. *Quàm pulchrum est, si videaris & prosis!* Ambros.

2. Ad usum modestiæ, ratio habenda est ætatis, vi-

H s

tæ,

ta, conditionis, loci, occasionis; hæc virtus oculos, manus, linguam, omnem denique hominem sic moderatur, ut qui vident Christianum, dicant: ita Christus incedebat, ita loquebatur, ita agebat cum hominibus. An de te hæc dici possunt? *qui dicit in Christum credere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hieron.

3. Exterior modestia ab interiore omnino pendet, facies est interpretis cordis, si domitas haberes cupiditates si semper Deum præsentem cogitares, facile ad modum esses modestus, nec animus tuus extra quæreret quietem, quam in se inveniret. *Animus corporis gestu apparet, & species corporis simulachrum mentis figuraq; probitatis.* Isidor.

## S. BERNARDUS ABBAS

20. Augusti.

*Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est.*  
Matt. 12.

**B**ERNARDVS est, ille (invidete Marianam) Dei collactaneus, quem mater cum utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesia latraturum. Pueri Puer Christus nocte Natiuitatis visus est, nobilius omni die spectaculum. Adoleſcens quòd oculum in fæminam defixerat.